



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Symmvla Caietani

Cajetan, Thomas

Antverpiae, 1575

Excommunicationis absolutio tria præsupponit, quibus non existentibus
nec sequitur absolutio.

urn:nbn:de:hbz:466:1-41716

12 Absolut. impedimenta.

Et propterea quantum teneatur iste querere & obtinere absolutionem ab excommunicatione, nec possit interim immiscere se diuinis, non tenetur tamen ad hoc ut iterum absoluat a peccatis & hoc propter efficaciam suscepti sacramenti, ut dictum est, iteratio enim sacramenti non nisi propter effectum sacramenti fieri debet. Et hinc habes, unde multorum timoratas conscientias consolari possis in multis singularibus casibus, qui prudentiam confessoris relinquuntur examinandi, & iudicandi secundum praedicta duo, scilicet quod fuerit verè poenitens, & laborans ignorantia aut obliuione excusante ipsum. Tertium est, quod absolute loquendo, absolutio sacramentalis inpena excommunicato valet: quia licet huiusmodi absolutio sit iure prohibita & illicita, nullo tamē iure sancitum inuenitur, quod sit nulla, excommunicatus enim est exclusus à sacramentis, quantum ad hoc quod non potest licite suscipere sacramentum: non autem quantum ad hoc, quod si suscipit, susceptum sit nullum. Si enim excommunicatus susciperet sacramentum ordinis, confirmationis, matrimonii, aut extremae vnctionis, non propterea irritum esset sacramentum susceptum. Pari ergo ratione non est irritum sacramentum poenitentiae ab excommunicato susceptum. Et similiter quia excommunicati participatio in diuinis, dicendo horas canonicas in choro cum aliis, non est irrita (satisfecit enim praepcepto de persoluendo horas) consequens est, ut sacramenti participatio non sit irrita. Et licet huiusmodi absolutio in aliquo non habeat effectum, tunc propter indispositionem recipientis perseuerantis in peccato mortali, habebit tamen effectum recedente peccato: & hoc propter vim sacramenti, iuxta doctrinam Augustini.

Excommunicationis absolutio tria praesupponit,

Absolutio ab excom. 13:

ponit, quibus non existentibus nec sequitur absolutio.

Absolutio ab excommunicatione, quantum ad confessores spectat, ex parte formae, tria habet consideranda. Primo, substantiam. Secundo, annexa. Tercio, modum connexionis. Et quod ad primum scito, quod nulla habet determinata verba, potest enim dicere absolvens, & Absoluo te, & Benedico te, & similia: debet tamen secundum Ecclesiae consuetudinem dicere, Absoluo te, &c.

Quod ad secundum scito, quod solennis absolutio- nis forma multa requirit, quorum aliqua requiruntur semper: ut aliquis psalmus poenitentialis cum precibus, & versiculis, & oratione. Aliqua vero requiruntur quandoq; & quandoq; non: ut verberatio, dum haec dicunt, omittitur enim in mulieribus & in locis publicis. Non enim decet mulieres verberari quum confitentur: similiter nec quoscunque alios in publico secretè confitentes. Similiter iuramentum de parendo mandatis Ecclesiae vel absolventis, in quibusdam tantum casibus requiritur. Et simile est de emenda iudicium: iuramentum enim illud in magnis tantum criminibus locum habet: emendam autem (hoc est sufficientem satisfactionem) quando pro notoria offensa in aliquem excommunicatus quis est, praestare ante absolutionem tenetur: & similiter ubi expensarum aut damni ratio habetur. Et si satisfacere nequit, tenetur dare idoneam cautionem, hoc est pignoratitiam vel fideiussoriam. At si nec horum aliquid potest, det occasionem iuratoriam satisfaciendi, quum poterit.

Et haec oportet confessorem scire, non solum propter communes qui possunt accidere casus, sed propter evitandas censuras Xisti quarti, quum contingit in mortis articulo absoluerè à casibus reseruat, in coe-
na Do-

na Do-

14 Absolutio ab excom.

na Domini &c. vt intelligat terminos, & sciat secundum hæc se regulare. Igitur solemniter absoluturus excommunicatum, præmissis aliquo horum si opus est, aut præmissis omnibus, si omnia requiri contingit, dicat confessor vnum psalmum poenitentialem cum Gloria patri, Kyrie ter, & Pater noster, & quatuor versiculis scilicet Saluum fac, Nihil proficiat, Esto ei, & Domine exaudi: & orationem, Deus cui proprium, mutando ly delictorum, in dy excommunicationis, & postea absoluat, dicens: Ego absoluo te à vinculo excommunicationis, & restituo communioni fidelium, & postea mandet ei, quod mandaturus est.

Quò ad tertium, distinguendum est de annexis. Nam annexorum quædam sunt ceremonialia, vt orationes: quædam iudicialia, vt cautiones. Et de ceremonialibus quidem constat, quòd sunt annexa vt debita seruari, non tamen vt substantialia. Et propter ea siis cui commissum est vt absoluat in forma Ecclesie, aliquem excommunicatum sine ceremonialibus absoluat, peccat quidem absolvens sine rationabili causa ceremonialia omittens, absolutio tamè valet: quia ceremonialia intelliguntur, tam institui quam committi vt ceremonialia: hoc est vt debita seruari: non autem vt necessaria ad substantiam absolutionis.

De iudicialibus verò tria dicimus. Primum, quòd regulariter sunt annexa vt necessaria necessitate iustitiæ, ita quòd non possunt omitti sine iniuria: quia in præiudicium Ecclesie seu partis huiusmodi ommissio vergit. Secundum quod iudicialia dupliciter inveniuntur annexa absolutioni. Primò, ex solo debito iuris communis, vt quia agitur de interesse tertii cui est satisfaciendum, vel aliquid simile. Et sic per abusum sue potestatis ordinarius potè absolueret absoluat, tenet absolutio facta, quamuis malè & iniuste facta, quia absolutio tunc fit contra ius tertii, & non contra ius

confi-

Absolutio ab excom. 15

constitutionis: vt habes in cap. Venerabilibus: de senten. excom. in vi. Secundo, ex debito illius canonis, vt canon ille dat certum modum seu excipit: ita quod nisi concurrente tali cōditione seu obseruatione impendatur absolutio. Et hoc multipliciter contingit. Vel per verba negatiua potentie actiuae, vt si dicatur, quod non possit absoluere ante satisfactionem. Vel per verba negatiua potentie imperonaliter: vt si dicatur, quod non potest impendi absolutio ante satisfactionem. Et in his duobus modis etiam verba ipsa canonis testatur limitatam esse potentiam ordinarij, ac per hoc irritam esse absolutionem si aliter fiat. Vel per verba negatiua potentie passivae tantum: vt si dicatur quod qui incidit in tali quid, non possit absolui, nisi satisfecerit. Vel per verba negatiua non potentiae, sed actionis, vt dicatur: nullatenus absoluatür ante satisfactionem, seu nisi satisfecerit. Et in his duobus similibus modis ambigua videtur quæstio. Ex verbis quidem, quia non limitatur per illa potestas ordinarij: ac per hoc videtur relinqui locus abusu potestatis ad illicitam absolutionem. Ex ratione verò, quia potestas ordinaria videtur potius regulari, statuendo sibi regulam secundum quam absoluere debeat, quam limitari, ne facillè ordinarij potestati derogetur. Oppositum autem suadet textus allegatus ex vi. dicens, Absolutio tenet, licet forsitan sit iniusta: quoniã et si contrarius litigatoris, non tamen contrarius constitutionis absoluit. Vnde videtur vniuersalis regula haberi duplex. Prima est, quod absolutio contra ius tertij & non cōstitutionis, tenet. Secunda est, quod absolutio contra ius constitutionis non tenet. Et quia hæc est tutior, & textui conformior viam, ideo hanc sequendam puto. Et propterea in singulis canonibus excommunicationum consideret absolutor conditionem ibi statutam, vt seruetur circa iudicialia, & ser-

¶ 6. Absolut. ex parte formæ.

ut illam ne erret, aut diciturini se committat. Tertium, quod in duobus casibus observatio iudicialium est adeo manifeste annexa absolutioni, ut absolutio sine illis irrita sit & inanis. Primum est, quando ius seu decretum explici è irritat absolutione sine his, ut fecit Sixtus IIII in Extravag. & si Dominici gregis. dicens. Et aliter impensa absolutio non valeat. Secundus est, quando ab homine alicui committitur potestas absoluendi, cum verbis conditionalibus vel æquipollentibus de huiusmodi cautionibus habendis talis enim commissarius si exsundo fines mandati absoluat, nihil facit.

Excommunicatio in materia absolutionis qualiter sit consideranda.

Absolutio ab excommunicatione quantum ad confessores spectat ex parte potestatis absolutoriae, distinctione eget. Discernendum est enim in primis, an illa excommunicatio sit lata à iure, vel ab homine. Vocatur autem à iure, quæcunque à perpetuo statuto lata est, à quocunque statutum illud sit, & siue contineatur in iure communi, siue in extravaganti, siue in legibus synodalibus vel specialibus. Quæ verò ab homine est, non est perpetua, sed spirat cum autore. Et si est à iure, discernendum est, an sit reservata eius absolutio, & cui. & tunc non potest confessor ab illa absolvi, nisi de gratia speciali fuerit concessum. Si verò non est reservata, certum est posse confessorem autoritate Episcopi ab illa absolvi, si Episcopus concesserit omnes casus sibi reservados. Si autem est ab homine (siue sit generalis, ut quum excommunicatur quicumque sciverit vel fecerit tale quid, siue singularis, ut quum excommunicatur Sortes) reservata regulariter est illius absolutio latoris, durante illius iurisdictione: vnde sine eius vel ipsius superioris gratia non